

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostratum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

100. lvs

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

neationis artem, fundamentaque penitus ignoramus, quod evidenter in ijs videre est, qui hujus horologij explanationem sive resolutionem sunt conati, quanto spiritu quidem multa divinârunt, at contrarijs mox eventibus fuerint elusi. Atque hi Chymicis, mihi persimiles videntur, qui aliqua Naturæ detectione inescati, & speciosa ratiocinatione occupati, in fictas aliquas regulas, sive Philosophorum opiniones facile jurant, ac exinde sibi laboris & infamiæ massam concoquunt; ita qui harmonicum quid temporis, & seculorû deprehenderunt, lubrico plærunque innixi, in univèrsam naturæ concentuum anatomiam excurrunt, & cum præterita vix, nec secure satis possideant, futura insigni temeritate prænunciant. Cujus si testes volueris, perlege aliquos Apocalypseo Joannis commentatores, viros eruditos utique & bonos, sed in re nondum possessa nimium præcipites. B. Suspicio quos velis, atque mirari satis non possum, cum plærique Scripturæ lumen consensumque, tum ecstaticum quendam spiritum & divinam revelationem jactitent, tamen & inter se dissentire, & a vero penitus aberrare. A. Itaque maneamus in ea simplicitate, quæ jubet Christum sequi, & orbis regimen Deo relinquare.

100. I E S V S.

A. CVM duo sint Jesu Christi præclarissima puncta, Sapiientissima doctrina, & perfectissima vita, & vtrumque Ecclesiæ suæ propagan-

gandum commiserit: quid est quod in priore tam multi strenue occupentur, & Christianam veritatem defensum eant; posterius plane negligatur, & sub mundi consuetudinibus quasi sepulchrum deliteat. Nam cum Christiani aliter, quam universus orbis credant, non vivunt tamen aliter. B. Nescis scientiam veri titillare, & primam illam Adami infelicem curiositatem respicere? cum obedientia plane carni contraria sit. Quotiescunque ergo Christum scimus, nostra veluti gloriola est; cum imitandus est, alienum à nobis, & servile credimus. A. Sed illa ipsa scientia nostra varie mixta est, & mundanis regulis inquinata, ne Christus nobis instar omnium sit. Vnde haud raro suspicari contingit, ne scire quidem nos satis Christum, nedum sequi. Nam si primam Ecclesiam intuear, illa nihil fuit nisi congregatio hominum humanis scientijs, subtilitatibus, artibus, titulis, & differentijs veluti renunciantium, & exinde cum Sathana, mundo, carneq; per varia armorum genera confectaturorum, ut merito mortalium absurdissimi potuerint dici, & Crucifixo illo plane digni. Nunc quid aliud videmus, quam nomen quidem Christianum, at religionem prophanam, leges Romanas, artes pudendas, mores barbaros esse. B. Nunquam sane sic rebus à Deo concessis utimur, ne aliqui abutantur, itaque ferendum est, quicquid hic mundus habet etiam in medio Dei templo imperfectum. A. At nos, mi frater, quibus & hæc displicent, & imposturæ multæ patent, vitam studiaq; ita instituamus, ut religio nobis nulla sit nisi pietas Je-

su,

su, leges nul  
nulla prece  
nulla post  
non humili  
cem Jesu, S  
tu, finis nul  
Jesu: ita  
bu

A  
Diozenes  
digenes  
proacontre  
qui Religio  
Politanus  
onis, & h  
id quod pro  
qua confes

Deo

su, leges nullæ quàm charitas Jesu, medicina  
 nulla præter abstinentiam Jesu, erudicio  
 nulla post simplicitatem Jesu, mores nulli ubi  
 non humilitas Jesu, exercitiū nullum ultra Cru-  
 cem Jesu, Societas nulla extra Fraternitatem Jesu,  
 finis nullus præterquam æterna cohabitatio  
 Jesu: ita Jesus nobis omnia erit in omni-  
 bus, quo in uno acquiescemus.

---

 A D M O N I T I U N C U L A .

**D** iogenes, & quidam Sophisticis argutationibus col-  
 ligens, quod haberet cornua, frontem ac tem-  
 pora contrectans, At qui ego, inquit, non video. Ita  
 qui Religionem læsam arguantur, ob pietatis, &  
 Politiam, ob probitatis, & literaturam, ob eruditi-  
 onis, & humanos ordines, ob rationis desiderium,  
 id quod, proh pudor, pauci aliqui sunt ausi, Men-  
 pus conscientiam tangit, & nihil, nihil, nihil  
 eiusmodi contrectare ait.

Deo veritatis, & libertatis assertori  
 gloria.

VITÆ